

redit eadem difficultas, quomodo lumen gloriæ, quod de se manifestat solum quidditatem divinæ essentia, possit sine nova perfectione luminis, et nova illustratione, ex sola vi, et efficacia sua penetrare actus liberos Dei.

XXI. Plura de hac difficultate tractat pater Suarez lib. II de attributis negativis, cap. XXIV et XXVII, explicando quomodo beati vident liberos Dei, licet non ita urgeat punctum difficultatis propositæ. Et suppono contra Nominales posse creaturas etiam existentes videri in Verbo; quod etiam negavit Durandus in IV, dist. XLIX, quæst. II, et alii; sed immerito, quia Verbum divinum, non minus est ratio, et principium continens in se creaturas futuras, vel ut existentes, quam ut possibles, si quidem per solam determinationem suæ voluntatis redduntur futuræ, quæ possibles erant: sicut ergo potest videri in ipso Deo determinatio voluntatis ejus, ita et objecta, quæ redduntur futura ex tali determinatione, ea videt Deus in se ipso, videt res ut futuras, et non extra se, ita ipso Deo manifestabiles sunt aliis beatis.

XXII. Suppono etiam non omnia futura contingentia libera, nec omnia decreta videri per quæcumque visionem; sic enim quilibet beatus videret omnia individua futura per totam æternitatem, quod soli animæ Christi conceditur a D. Thoma, et theologis hic articulo secundo.

XXIII. Denique suppono, quod entitas actuum liberorum, cum sit formaliter in Deo, et idem quod ipse actus necessarius, non minus debet formaliter videri in Deo, quam quæcumque alia attributa. Quomodo autem videndo totam entitatem actus liberi lateat beatos objectum libere volitum per talem actum, pen-

det ex illa difficultate de constitutione actus liberi in Deo, et distinctione ab actu necessario, quæ tractari solet I parte, quæstione XIX, sed breviter dico, quod ille actus propter suam eminentiam, ita est formaliter in Deo quod eminenter attingit objectum liberum, sine aliqua necessaria connexion, aut dependentia ab ipso; unde objectum primum talis actus non est objectum libere volitum, sed primum objectum est divina bonitas non ut absolute amabilis in se, sed secundum respectum ad objectum creatum, quod ex illa derivatur, et ad quod se extendit. Quare sicut stat bene videri totam formalitatem divinæ potentia, et virtutem ejus ut absolute est in se, et latere eandem potentiam, et virtutem sub habitudine respectiva ad creaturas possibles, quas virtualiter includit (ut articulo primo diximus) sic multo a fortiori stat bene, quod videatur actus divinæ voluntatis secundum suam absolutam entitatem, et tamen sub habitudine ab objectum, cum quo non habeat necessariam connexionem, sicut habent creaturæ possibles cum omnipotentia, omnino latere possit, nisi Deus illud revelet; quia si ad cognoscendam virtutem continentiam sub respectu ad creaturam possibilem requiritur penetratio virtutis, et non sufficit simplex visio quidditatis, multo melius ad cognoscendum objectum futurum, quod eminenter continetur in actu voluntatis sine connexion tamen necessaria ad illud, requiretur specialis Dei revelatio, et non sufficit simplex visio quidditatis divinæ.

XXIV. Quod si dicas hoc multum probare, scilicet, quod neque ex vi visionis Deo revelante possit videri actus liber, ut liber est secundum quod tangit objectum liberum, quia sic non est aliquid reale, sed respec-

tus rationis, quem addit super actum necessarium; respectus autem rationis non potest videri ex vi visionis divinæ, quia nihil est, responderetur, quod respectus rationis non est res, quæ videtur ex vi visionis divinæ, sed videtur actus realis voluntatis, qui tantam eminentiam realem habet supra objectum creatum, quod non reali relatione, et dependentia respicit illud, sed potius objectum dependet ab actu realiter, et videre illud sub hac dependentia reali ex parte objecti, quæ rationis est ex parte actus, est videre actum liberum, ut tangit respectum rationis, vel objectum sub respectu rationis.

XXV. Itaque actus liber Dei, etiam ut liber, non dicit aliquid rationis, sed aliquid reale est, sola tamen ratione distinctum ab actu necessario, et solo respectu rationis respiciens objectum, propter absolutam realitatem suam, et independentiam ab objecto. Et sicut potentia etiam ut respicit hanc, vel illam creaturam possibilem aliquid reale est, et continentia talis creaturæ possibilis realis virtus est, licet respectus ad creaturam rationis sit, propter eminentiam, et independentiam talis realitatis, sic dicendum est de actu voluntatis respectu objecti liberi.

XXVI. Ad difficultatem ergo propositam, an sit necessaria nova revelatio, vel perfectio in lumine gloriæ, ut videat liberum decretum Dei, quatenus liberum est, respondent aliqui, quod non est necesse variari lumen intrinsece, sed extrinsece ex parte objecti cogniti; neque est necesse infundi novum lumen, aut gradum luminis, vel novam speciem, sed solum perfici penes majorem extensionem ex parte objecti liberi, quæ extensio non se tenet ex parte objecti primarii, a quo habet substantialem rationem illa visio, sed quatenus essentia fundat respec-

tum rationis ad creaturas. Ita magister Gonzalez I part. quæst. XII, disp. XXXII, sect. III, et circa finem.

XXVII. Sed urget contra hanc resolutionem validum argumentum: Quia etiam creaturæ possibles sunt objectum secundarium divinæ visionis, et ad illas habet divina essentia solum respectum rationis, et tamen ad videndum plures creaturas possibles in Deo necesse est visionem ipsam substantialiter variari, quia id debet fieri per majorem penetrationem divinæ virtutis, et consequenter per diversum modum intelligendi ipsum objectum primum, quatenus est ratio manifestandi objectum diversum secundarium, et consequenter alio modo debet penetrari, et cognosci, quam si aliud objectum secundarium, vel nullum videret; ergo similiter ad videnda futura, licet sint objectum secundarium, tamen quia in penetratione divinæ essentia cognoscuntur, oportebit crescere lumen, et mutari ipsam visionem aliter attingendo divinam essentiam, quam si non viderentur futura: et sic currit difficultas proposita, an sufficiat crescere lumen gloriæ in ratione luminis; an in aliqua ratione revelationis, et per quod lumen fiat talis revelatio. Neque est aliqua differentia quantum ad hoc inter creaturas possibles, et futuras, quia tam istæ, quam illæ pertinent ad objectum secundarium, et videntur in vi penetrationis divinæ essentia.

XXVIII. Quare existimo, quod lumen gloriæ ex sua specie, et natura est sufficiens, non solum ad cognoscendam quidditatem Dei, et quidquid in Deo est formaliter tamquam ens necessarium, sed etiam ipsos actus liberos, ut liberi sunt, non per aliud lumen, nec per aliam speciem, sed per ipsum lumen gloriæ, et di-

vinam essentiam, quæ repræsentativa est non solum quidditatis, sed etiam libertatis suæ, quia continet in se actum liberum, et potest illum manifestare, dummodo essentia divina uniatur intellectui sub illa ratione, et modo quod intelligitur, ut continens, et repræsentans actum liberum, sicut etiam ipse Deus per suam essentiam cognoscit liberum actum suum.

XXIX. Ex parte etiam luminis requisiti ad cognoscendum, non requiritur revelatio facta per aliud lumen, quam lumen gloriæ, quia lumen gloriæ est sufficiens pro omni revelatione intra Verbum, etiam respectu actus liberi, ita quod lumen gloriæ non solum est cognoscitivum divinæ essentiæ, quantum ad connexiones necessarias, sed etiam eminenter est lumen revelationis, mediante quo Deus intra Verbum revelare potest quidquid voluerit applicando, et uniendo essentiam suam illi lumini, sub eo modo quo repræsentativa est ejus, quod Deus

revelare vult. Si enim potest Deus manifestare decretum suum, et voluntatem per lumen infusum extra Verbum, sicut cognoscimus per fidem, et prophetæ per lumen propheticum multa de voluntate Dei cognoverunt, a fortiori intra Verbum potest Deus revelare ea, quæ pertinent ad liberam voluntatem, non per aliud lumen, quam quod est cognoscitivum Dei intra Verbum, quod propter suam eminentiam æquivalet revelationi divinæ; et ad hoc (ut diximus) non requiritur nisi quod ipsi lumini proportionato divina essentia uniatur, ut repræsentans hoc, vel illud decretum suum: sicut ad videndam aliquam creaturam possibilem determinate, necesse est, quod uniatur divina essentia, sub ea ratione qua continet talem creaturam, potius quam aliam, et lumen in ea dispositione, aut intentione dari, qua proportionatum sit ad penetrandum continentiam talis creaturæ.

## QUÆSTIO XI.

### DE SCIENTIA INDITA, VEL INFUSA

ANIMÆ CHRISTI.

#### EXPLICATIO LITTERÆ.

Ordo hujus quæstionis ad præcedentem supra quæstionem nonam, notatus est, cum tractavimus de scientia Christi in communi, et diversitate scientiarum, quas habuerat, quarum prima est scientia beata: secunda infusa per se ad cognoscendum extra Verbum: tertia acquisita, et connaturalis homini in hac vita: et sic expedita consideratione de scientia beata, agit nunc de scientia per se infusa: in ea vero considerat tria, scilicet objectum, actum, et habitum. De objecto agit articulo primo inquirens, an Christus per hanc scientiam sciat omnia, vel ad quæ objecta se extendat; de actu, inquit tribus sequentibus articulis, explicando perfectiones, quas habet actus hujus scientiæ, cum enim excedat scientiam acquisitam, et humanam, oportet imperfectiones scientiæ acquisitæ ab ea remove, et explicare perfectiones angelicæ, unde inquit in articulo secundo, utrum habuerit hæc scientia dependentiam a phantasmatibus; et in articulo tertio, an habuerit necessitatem discurrendi; et in articulo quarto, an sit inferior cognitione angelica, per quæ explicantur omnes perfectiones exercendi, et utendi hac scientia: denique de habitu illius inquit in articulo quinto et sexto, an solum fuerit hæc scientia habitualis, et utrum unius, vel plurium habituum.

Circa primum explicat D. Thomas in articulo primo ea ad quæ se extendit ista scientia, et supponit tamquam certum principium hanc scientiam fuisse in Christo perfectam, quod intelligitur de perfectione intensiva, et extensiva: nam quod fuerit extensive perfecta ostendit in argumento Sed contra, ex eo quod sacra Scriptura ponit in Christo ea dona Spiritus sancti, quæ comprehendunt omne genus cognoscibilis, scilicet sapientiam et scientiam, intellectum et consilium, si quidem sapientia est cognitio divinorum omnium, intellectus rerum immaterialium; scientia omnium conclusionum, seu scibilium; consilium omnium agibilium, sub quibus generibus omnia cognoscibilia comprehenduntur: ergo ad omnia se extendit scientia Christi.

Intensive etiam fuit perfecta, ita quod non habuit hæc dona Spiritus sancti in ea limitatione, qua dantur cuilibet existenti in gratia, sed in ea perfectione qua debent esse in capite omnis gratiæ: *Cui non dat Deus Spiritum ad mensuram*, ut dicitur Joannis tertio, sed venit tamquam doctor omnium, et magister a Deo, ut ibidem dicitur. Oportet ergo quod ista dona sic comprehendant omne genus cognoscibilis ita sint in Christo, quod possint etiam ad alios derivare doctrinam, illosque instruere tamquam suprema regula, et magister.